

In: 4848
c.2

98.

D. D.

DISSSERTATIONEM MEDICAM
DE
DULCAMARA

| *Venia Experient. Fac. Med. in Reg. Acad. Ups.*

164

B5

Moderante

Viro Generosissimo

D. D. CAROLO à LINNÉ;

*S:æ R:æ M:ris Archiarro, Equite aurato de Stella Pol. Med. & Botan. Pro-
fessore Reg. & Ord. Acad. Paris. Petropol. Imp. N. C. Holm. Upfal.
Lond. Angl. Flor. Berol. Monsp. Tolos. Bern. Edinb.
Nidros. Membro.*

Examinandam Sistit.

Stipendiarius Regius

GEORGIUS HALLENBERG.

Gotblandus.

In Auditor. Carol. Maj. D. XXIX. Maji.


Anni MDCCCLXXI,

1771

Horis ante meridiem solitis,

Upfaliae,

Ex Prelo EDMANNIANO.



§. I.

omparantem Medicinam nostri
ævi cum antiquorum non fu-
gere potest, hanc non minus, ac
ceteras scientias, stupenda sane
cepisse incrementa. Medicina
veterum mere erat empirica,
casu, superstitionibus & analo-
gia, nescio qua, morbi & medicamenti, innixa: no-
stra vero tota fere est dogmatica, rationibus sufful-
ta mechanicis. Sed tantum abest, ut in summum fa-
stigium sit evecta, ut potius permulta adhuc desideren-
tur, quæ tamen polliceri videntur nostri seculi sa-
gacitas & industria. Suis, proh dolor! Scientia labo-
rat impedimentis, quæ accrescenti officiunt & quo-
rum tria potiora nominasse juvabit.

I. Physiologie Subtilitas. Etsi largiendum, hanc
scientiæ partem opera & industria immortalis Bœr-
havii & Illust. Halleri aliorumque ita esse excultam, ut,
si Physiologis superioris seculi, perpolitam, quam orbi

A

eru-

eruditio tradidit Dom. à Haller perlustrare contigerit, taterentur sane, se fuisse tirones. Multa tamen latent in iis, quæ ad Encephalum pertinent, (Cerebrum, loquor, Cerebellum, Medullam oblongatam-Spinalem & Nervos), quorum structura subtilissima aciem oculorum quantumvis armatorum longissime fugit, & quorum agendi modum praecipue in diversis modificationibus Cerebri & Cerebelli non nisi confuse rimamur, persuasissimi tamen, Deum & naturam nihil frustra.

II. Pathologæ defectus. Species morborum ad tempus Illustr. Sauvagesii neglectæ fuerunt, Viresque medicamentorum ad Genera tantum relatae, cum tamen usum medicamentorum præcipue in morbis chronicis praecedere debet cognitio caussæ, cui sunt opponenda. Adeoque, antequam Species morborum, hoc est, caussas habeamus perspectas, omnis e re medica exulat certitudo Physica.

III. Materiæ Medicæ neglectus. Cum cognitio historica semper præcedere deberet, omnisque compositio & Theoria Medica inutilis est & vana, si simplicia probe distinguere non valeamus, mirari convenit, hanc medicinæ partem usque eo esse neglectam, ut in Pharmacopoliis permulta reperiantur simplicia, quæ cui plantæ debeantur, nondum constat, licet diu multumque in usu fuerint. Sed quod plus est, parum solliciti fuimus in qualitatibus eorum inquirendis, ut inde vires eorum eruantur & conferantur cum speciebus ex caussa. Hujus incuriæ causa ea esse videtur, quod Medici semper fere Bo-

Botanicen ceteris scientiæ partibus posthabuerint,
 verumque filum Ariadnaeum in rimandis viribus
 medicamentorum, affinitatem loquor vegetabilium,
 ne somniarint quidem. e. g. Constitit quidem diu
 inter omnes *Corticem Chinæ* summa sua amaritudine
 frangere acidum febrium intermittentium: sed
 quare ex aliis summe amaris non idem effectus,
 mirati sunt Medici, ignari, Cinchonam militare
 sub Ordine naturali *Contortorum*. qui totus est in-
 quinans, & cui inest viroſi quid, non nisi in calore
 manifestum. Mat. Medicæ non parum attulerunt
 detrimenti medicamenta composita, quibus ſæpe
 ad pompam et ostentationem excogitatis, mordicus
 inhaeserunt Medici. Ex eo accidit, ut post felicem
 ſuccesſum vix dicere valeat Medicus, cui ex sim-
 plicibus sanitatem debeat æger convalescens. Ne
 dicam, ex mixtura simplicium, odore & gusto diver-
 ſorum, compositionem oriri qua vires longe di-
 versiſſimam. Quod reliquum est, Medici, qui ho-
 nore Doctorali ornati, ad urbes opulentiores abe-
 unt, ita exoticis affvescunt, ut, cum alvus pauperi-
 mi rustici eſt referanda, medicina ex remotiſſimis
 terræ regionibus fit petenda. Hinc factum eſt, ut
 agricolæ, qui ſummo labore, ne dicam ſervitute,
 vix conquirere poſſunt, unde vivant, Medicos refor-
 midantes & Pharmacopolia, ubi ſalus auri pondere
 redimitur, in extremo ad aniculas confugiant neceſſe
 sit, & Medicastros, cum tamen multitudo eorum
 scientiæ maxime eſſet utilis eamque commendaret.
Neque mirandum, in unica urbe opulentiore aliorum

regnorum, plures reperiri Medicos, quam apud nos per totum regnum. Quod si, nulla ratione status habita, commiseratione civium ducamur & incrementum scientiæ in patria nobis cordi sit, quantum fieri potest, medicamentis domesticis est indulgendum, quod Medicis, ut dicuntur, Provincialibus in primis curæ esse debet, utpote quorum fidei salus vulgi commissa est, & persuasissimum habeo, eos ratione ductos & experientia, inter vegetabilia indigena plurima reperturos, quæ nullo modo cedant exoticis. Cum vero ex hisce Dulcamaram, pro virili, pertrastare aggredior, benevolentiam Lectorum mihi pollicor.

§. II.

Etsi DULCAMARÆ inter officinales Dispensatorii nostri, numerari non contigit, civitate tamen eam donarunt jam dudum Pharmacopolæ. Cum vero in officinis sermo est de Solani herba, intelligitur SOLANUM *nigrum* non Sol. Dulcamara. Antequam Generosiss. D:rus Præses anno 1738 Nosocomio navalí, quod Holmiæ est, præfectus esset, vix apud nos in usu fuit Dulcamara; Ejus autem auctoritate & experientia primum usus hujus usque eo invaluit, ut Pharmacopolis non sine labore & cura sit hujus copia.

§. III.

SOLANVM *Dulcamara*, caule inermi frumento, flexuoso foliis superioribus hastatis, racemis cymosis *Syst. Nat. V. II. pag. 173. Flora Svec. 201. Mat. Med. 95.*

Solanum scandens s. *Dulcamara*, *Bauh. pin.* 167.

Solanum lignosum *Till. icon.* 154.

Dulcamara. *Dod. Pempt* 402.

Uplandis *Qvesved*, Westrogothis *Matleds quistar*,
Ostrogothis *Ormbår*, Smolandis *Hållbår*, Wer-
melandis *Wildbår*, Sudermannis *Trullbår*, Pharmacop-
olis *Stipites Dulcamaræ*.

Locus hujus plantæ plerumque est terra humosa s.
limosa, subpaludosa ad sepes. Amat enim fulcra, si-
ne quibus diffusa ab animalibus conculcatur. Sæpe
etiam in salicetis inter frutices habitat, ut ab iis quo-
dammodo testa, ab hiemis injuria non laedatur, uti
Frangula, cum qua id commune habet, ut careat
geminis. In hortis testa viget & si caules diffusi, hu-
mo sparsim testi fuerint, singuli radices agunt &
hoc artificio multo citius nobis ejus est copia, quam
ex seminibus.

Descriptio hæc est:

CAULES plures 3 - 6 pedales, flexuosi, teretes,
debiles & sæpe procumbentes, perennes, sed tantum
per aliquot annos.

FOLIA alterna, petiolata, ovata, lævia, integerri-
ma, simplicia, sed superiora hastata seu tripartita laci-
niis lateralibus longe minoribus.

RACEMI terminales aut ex superioribus alis fo-
liorum ramosi, divaricati, fere cymosi, pedunculati,
nutantes.

COROLLÆ cæruleæ (raro albæ aut incarna-
tæ), quinquepartitæ, reflexæ.

BACCÆ ovatæ, rubræ, polyspermæ, fatuæ cum
sapore dulci & amaro mixtis, ingratæ & fere nauseo-
sæ.

§. IV.

Huic speciei proxime affinis est SOLANUM *quercifolium* Syst. Nat. 173, quod a nostra solum differt foliis pinnatifidis & caule anguloſo, de cetero Dulcamarae ſimillimum, niſi quod aere aperto frigidioris nostri cœli fit magis impatiens. Flores *quercifolii* non modo colore eodem gaudent ac noſtræ, ſed etiam, quod mirandum, maculas quoque habent ad basin corollæ. Hinc ſi conjecturis indulgere liceret, a vero non videtur alienum S. *quercifolium*, cujus patria Peru eſt, ex loci cœlique diuersitate e noſtra Dulcamara prodiiffe, nullumque eſt dubium, quin hoc in ſua patria vice Dulcamarae optime fungatur.

§. V.

GENUS Solani qua omnes suas species hucusque cognitas in ſe continere aliquid naturæ adverſum, prodit odor viroſus. Scimus, Hispanos & qui Barbariam incolunt vefci fructu *Lycopersici* f. pomis amoris, *Mellangenæ* f. Solani infani, ſed vix quidem niſi aſlo aut cocto. Ut vero illa, quæ in hortis apud nos hofpirantur, ideo cruda ingerantur, non ſum auctor; inde autem nihil ad vires concluditur. Licet Caricæ ab omni veneni ſuspicioне longiſſime abſint, arbor ficus tamen eſt viroſa. *Sol. Tuberosi* Tubera Peruvianis, etiam noſtratibus, ſunt eſculenta. Lubens fateor, ſi corticem exceperis, hiſce minus inefſe viroſi, quamvis herbæ viroſiſſima. Quod vero hæc tubera naturæ non ſint amicissima teſtatur indocta gula famulorum, qui

qui hæc negligunt, nisi fame coacti. Sues, quibus sensum & olfactus fortissimum dedit natura, hæc respuunt. Peruviani, apud quos sponte proveniunt nec uti natura convenientissima ejus tubera extollunt. Quin vero fames cum laboriosa vita ex his ferculum parare valeat, quod palmam permultis aliis frumenti succedaneis facile præcipiat, nullus dubito, inferiora tamen judicœ hæc tubera radicibus Helianthi tuberosi.

§. VI.

QUALITATES plantæ, qua saporem & odorem, jam considerandæ erunt. Stipites Dulcamaraæ, quibus utimur, rejectis radice, foliis, floribus bacisque, gustu gaudent dulci & amaro mixto, palato ingrato. *Liquiritia* radix multum habet dulcis parumque amari. Vix cocta dat Decoctum dulce, quod ex diuturniori coctione amarescit & dulcedinem amittit. Radix *Polypodii* dulcis quidem est saporis, sed plus habet amari, quam præcedens, ita tamen, ut prævaleat dulce, quapropter citius coquenda, ne amarum extrahatur & dulce exuatur. De Dulcamara idem merito dici potest.

Stipites quidem qualitate virosa foliis multo sunt inferiores, præsentiam tamen ejus etjam in his manifestat pulvis & decoctum. Vires plantarum ex qualitatibus colliguntur. Sapor hujus dulci & amaro mixtus, est naturæ inimicus & nauseam sape creat, quare etjam Dulcamaram frutices anorexiæ vocant Westrogothi, sed odorem ejus virensem imprimis fastidit natura: **Hircosa, Nidorosa, Tera**

tra & Virosa, id commune habent, ut suffocent nervos, qui ex sede vitae machinæ animalis exeunt. Hæc omnia ad portam repudiat natura, ubi gustus & olfactus, ut Publicani, prohibitorum invectioni resistunt. Si vero vi intruduntur, omnes vires vitae conspirent, necesse est, ad ea expellenda vel per secessum, vomitum vel per Diuresin, ne quid detrimenti exinde capiat respublica vitalis. Hæc, si corrosiva exceperis, præcipua fuere venena, quæ, ut noxia, in exilium ejecerunt veteres. Medici nostri seculi, e contrario, ea jure meritoque in usum revocarunt, non eo nomine, ut caussam morbi tollerent, ut potius his ejus, omnibus, quæ corpori insunt, sordibus, portæ simul pateant. Usus largior Dulcamarae initio & antequam stomachus ei assverit, vomitum aut nauseam saltem concitat: parcior vero, in lecto procumbente sudorem, sed eorum, qui lectum reliquerunt, urinam pellit.

Stipites colligendi sunt vel primo vere, vel fine autumni: foliis dum destituti odore & sapore excellunt. In pulverem vix rediguntur nec electaria intrant. Si vero stipitum siccatorum & conciforum pugillo s. drachm. 2. s. 4. affunditur libra una aquæ bullientis, quæ post quietem semihoræ levissime ebullitur per octavam horæ partem, vires optime eliciuntur. Ex hoc decocto modice frigefacto, sumantur mane, quantum continere possint, duo vasa, quæ Decocto Theæ sumendo inserviunt, totidemque vesperi hauriantur. Initio Decoctum paululo lactis est temperandum. Post tres quatu-

orve dies stomachus Decoctum fortius vel sine laete admittit, sine nausea aliove malo. Neque post longiorem usum quemquam paralyfi linguæ esse affectum, ut narrat D:rus Gouyan, unquam vidi-mus.

Cachectici & Cacochymosi, quibus sanguis est impurus, vere ineunte, decoctis plerumque utuntur mundificantibus ex Rad. Chinæ, Sarsapar. Lign. Guaj. Sasaffras aliisque exoticis. Hæc vero omnia & mixta & per se huic fini obtinendo Dulcamaraæ decocto esse inferiora, certum statumque apud nos est, quod etjam jam dudum testatus est immort. Bœrhauius. In tota Mat. Medica nihil est, quod huic comparari possit, ne dicam, præferri in ejiciendis per diuresin vel aliter e sanguine acescentibus, putrescentibus, muriaticis, ceterisque, h. e. in morbis Arthriticis, Scorbuticis, Ictericis, Hydropieis, Rheumaticis, quin etjam Siphyliticis. Natura, in hoc expellendo occupata, relaxare stricturas necessum habet. Hinc patet etjam nostræ utilitas in obstruktionibus levandis, in suppressis lochiis menstruisque. Quid? quod, in ipsis morbis Phlogisticis Pleuritide & Peripneumonia.

§. VII.

Neque nobis refragatur experientia.

Dolores Ischiaticos, Rheumaticos & Osteocopos, quorum causa proxima est acre in tela cellulosa & periostio hærens, & quibus sæpiissime affecti sunt rustici, salso & duro vietu utentes, certe ex hujus usu

usu remittere novimus. In podagra hoc non sumus experti, nonnullis affirmantibus Podagram inde mobilem fieri & vagam.

Icterum hoc infuso curari testantur Tragus, Vierius aliquique. Assessor J. Rothman celebris ille, dum vixit, Territorii Vexioniensis Medicus, ingenuus professor est, se nihil expertum, icterico sanando aptius certiusque, quam Decoctum Dulcamaræ.

Scorbuto mederi confirmant experimenta Gen. Dom. Präsidis capta in nosocomio nav. Holmensi, nec non Historia Reg. Acad. Scient. Parisina, anni 1761. ubi pag. 54 seqq. memorabilis casus occurrit, quem strictim adjungere lubet. Virgo 22 annorum sensim maceescere incœpit cum lassitudine, vago articulationum dolore, tussi, dolore faucium & amphimerina. His superveniunt non ita multo post Carcinoma utriusque labii fœtidum, Stomacace cum Casu dentium, ulcera faucium & oris, maculae Scorbuticae per totum corpus sparvae, dolor osteocopus, exostoses in crista tibiæ & brachio dolentes non colorati. &c.

Hæc oppugnata sunt Syrupis acidis, spiritu Cochleariae, unguento mercuriali &c. Ulcera variis tractabantur, tamen dolor die nocteque premebat, nisi sopiretur narcoticis. Tandem his omnibus frustra tentatis, usum decocti Dulc. suasit Ill. Sauvage, qui se hoc a Generos. Domino Präside didicisse retulit, tanquam summum in scorbuto specificum.

Dulcamaram igitur adhibere coepit 9 Julii an. 1759. Initio ex hujus usu exacerbabantur sympto-

mata cum amblyopia. Sed ad hæc non despontit animum Medicus, cui salutem commiserat ægra. Sub initio Augsti vero symptomata minuebantur, ulcera laudabili pure manabant, maculæ evanuerunt, appetitus rediit, ulcera & gingivæ consolidabantur & exostosum ne vestigium quidem supererat fine Septemb. ejusdem anni.

Obs. Decoctum paratum erat ex recentibus stipitibus & quarta quavis hora propinatum eadem fere, ac ante monachus, dosi.

Lochia & Menstrua suppressa hujus usu redeunt. Complures nominare possemus, quæ ex lochiis retentis febre, desirio quin maculis correptæ, per hoc Decoctum revocatæ sunt quasi ex faucibus orci, etsi Diarrhœa initio supervenit.

Contusionibus & fugillationibus medetur nostra. Testor Infusum Traumat. Fulleri, ex cuius usu ipse Fullerus aliique viderunt Grumos resoluti crux in matula. Westrogothi hoc utuntur in Pleuritide & Peripneumonia sæpe cum successu, licet non semper.

Scabiem cum hac pellunt Uplandi, unde etiam ob vim peculiarem in hoc malo ab iis vocatur *Quesved* quasi lignum Scabiei. Caussam Scabiei esse acaros extra omnem dubitationis aleam posuerunt Microscopia. Acaros vero ab hoc infuso occidi tantum abest, ut credamus, ut potius ex hac sanguinem impurum, quem amant animalcula, ablui putemus & corrigi. Acari enim in sanguine

guine impuro lætius propagantur & vigent, quemadmodum pediculi in capite impuro & manante.

Siphylis. Ante 15 annos, & quod excurrit, mulier quædam grava, cum Holmia huc advenisset, partum edidit in summa paupertate. Miseriam hujus mirum quantum adauxit suppressio lochiorum, quam sequebantur febris, delirium, Spasmi & maculæ. Præter hæc etjam Siphylitide erat infecta. Cum vero ex auctoritate Gen. D:ni Præsidis de coctum Dulcamarae ei esset datum, non solum brevi redierunt lochia, sed symptomata Siphylitica etjam simul levare compertum est, &, post repetitum usum, perfecte ex utroque morbo convaluit ægra. Celebris ille Monspellensium Professor D:nus Sauvage, qui hoc rescivit, veritatem sa pissime tempore verno præfertim, comprobavit. In reliquis Siphyliticis, Arthritide vaga, puta, Doloribus Osteocopis nocturnis, Puncturis, Debilitatibus usum hujus eximum postea docuerunt experimenta. Neque hoc celatum D:no Sauvage. Quo solo, sanitatem reddidit Pathologus summus Nobili cuidam Sueco, qui, nulla remedia in patria enumeratis malis tollendis paria credens, Galliam petiit. Quod non potuit non mirari D:nus Sauvage, quem fateri haud puduit, se hoc remedium D:no Præsidi debere.

§. VIII.

Nullus erit dicendorum finis si omnes enumerarem morbos, in quibus Dulcamaram profuisse referunt Medici. Cum vero confusio & suspicio quædam

dam oriri posset ex usu ejusdem remedii in infinitis fere Morborum Speciebus, quæ tamen **candem agnoscunt caussam**, reliquis recensendis supersedeo, ex viribus cum caussis collatis tantummodo colligens, annuente experientia, nostra nihil fortius in ejiciendis e sanguine impuritatibus Scorbucis, Arthrit., redundante bile in ietericis, in derivandis humoribus in Asthmate humorali, in reorbendo cruento in contusionibus & sugillationibus, expellenda materia exanthematica in Siphylitide, Scabie, Millaria, in promovendo excretiones naturales sc. urinam, lochia, menstrua, cetera, memor tritissimi:

*Non qui multa, sed qui utilia
scit, ille sapit.*

TANTUM

